

non minus actu & potentia, gloss. in c. quoniam, distinct. 10. verb. discrevit, Covarruv. in cap. peccatum, part. 2 §. 9. num. 7. Bodin. lib. 3. de Republ. cap. 3. num. 227. Quām alios cujusvis Ecclesiæ antistites ex sui officii natura, jurisdictione seculari carere plausibilius videtur, Bodin. d. loco, Petrus Gregor. Tholos. Syntag. part. 3. lib. 50. cap. 12.

PRACTICORVM OPINIO.

Hic multa jam occurrerent repetenda, quæ magis in tractatum excederent, quām ut brevis admonitionis loco sint. Sed paucis percurremus. Et de Majestate Imperatoria dubium non est, utpote cum in jure divino Dii vocentur magistratus, id quod de interpretatione juris multò magis excellētia inspecta ad summam Majestatem referri potest, quæ & ideo legibus soluta dicitur, quia superiorem in hisce terris non agnoscit. Unde Poëta.:

*Juppiter in cælis, Cæsar regit omniaterris:
Divisum imperium cum Jove Cæsar habet.*

Atque ideo etiam magis propriè in solum Imperatorem crimen læsæ Majestatis committitur. Accommodatione postmodum & interpretatione res eò devenire solet, ut non tantum Imperatores Dii, sed & alii magistratus dicantur, qui similiter crimen læsæ Majestatis sibi vindicant, arg. l. 9. ff. hoc tit. sicut tamen quatenus aliâs crimen illud maneret impunitum, & sicut pœna adhuc mitior sit. Nam & lex Julia de adult. simul stuprum punit, sed non eadem pœna. Similes sunt multæ leges. Eadem ratione ex interpretatione Decalogi sub præcepto 5. 6. & reliquis, etiam cogitationes veniunt, quæ tamen ibi non exprimuntur. Quo fine & alii Principes tituloutuntur: *Wir von Gottes Gnaden.* Imò interdum Sacerdotes scribunt: *Von Gottes Willen/ ic.* Quid, si de jure divino quereretur, fortè facilius tolerari posset, quām de jure huma-

H 2 no.